



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Agenda S. Coloniensis Ecclesiae. Hoc Est: Liber Pastoralis

Ferdinand <Köln, Erzbischof>

Coloniae Agrippinae, 1614

Exorcismi siue Orationes DD. Basilij & Chrysostomi super his, qui à
Dæmonibus vexantur, & contra quamlibet infirmitatem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39761

ORATIONES SIVE EXORCIS-

*mi, D. D. Basilij atque Joannis Chrysostomi, super
ijs qui à dæmonibus vexantur, & ad-
uersus quamlibet infirmi-
tatem.*

DEus Deorum, & Dominus Dominorum, ignito-
rum ordinum fabricator & incorporearum vir-
tutum opifex, cælestium & terrestrium artifex,
quem nemo hominum vidit nec videre potest, quem ti-
met & tremit omnis creatura, qui principem illum, cæle-
stis militiæ, dura obnitentem ceruice, & tuum ministe-
rium per inobediētiam spernentem in terram proiecisti,
& angelos vnà cum illo desertores dæmones factos in tar-
tareas demersisti tenebras. Da vt Exorcismus hic in tre-
mendo tuo nomine factus, terrori sit ipsi principi omnis
nequitia & omnibus turmis ipsius vnà cum illo delapsis
ex cælesti illo & lucido contubernio; & verte illum in
fugam, & manda ipsi & dæmonibus ipsius prorsus sece-
dere, ne quid noxium cōtra signatam tui imaginem ope-
retur. Sed accipiat hic signatus, robur fortitudinis cal-
candi super serpentes & scorpiones, & omnem potesta-
tem inimici: ab omni enim spiritu laudatur, magnifica-
tur, & cum timore glorificatur sanctissimum nomen Pa-
tris, & Filij, & Spiritus sancti, nunc, & semper, & in sæ-
cula sæculorum. Amen.

O o ;

Oratio

Oratio vnà cum Exorcismo.

A Diuro te omnis malitiæ & blasphemix primum auctorem, rebellionis principem, prauitatis artificem. Adiuro te eiectum ex alto lucis contubernio, & in tenebrosam abyssum delapsum, propter elationem. Adiuro te & omnem potestatem vnà tecum elapsam sectatricem cui propositi immunde spiritus per Deum Sabaoth, per omnem virtutem Angelorum Dei, per Deum Adonai, per Deum omnipotentem, exi & secede à famulo hoc Dei, Adiuro te per Deum, qui verbo omnia condidit, & per Dominum nostrum Iesum Christum vnicum Filium ipsius, qui ante sæcula ineffabiliter & impassibiliter ex eo genitus est, qui inuisibilem & visibilem creaturam fabricatus est, qui secundùm sui imaginem, hominem finxit, eumque lege prius naturaliter, ceu Pædagogo quoquam erudiuit, & Angelorum præsidio muniuit, qui olim peccatum cataclismo diluit, & abyssos, quæ sub coelo erant aperuit, & gigantes impiè agētes perdidit, & turrim prophanorum deiecit, & Sodomorū Gomorrhæorumque terram igne diuino in cinerem redegit, in cuius rei testimonium fumus assiduus exhalatur, qui virgâ Pelagus rupit, & populum siccis pedibus traduxit, & Pharaonem tyrannum & exercitum Deo repugnantem, in perpetuū fluctibus demersit, & impietatis bellum sustulit, qui in nouissimis diebus ex pura virgine ineffabiliter carnem assumpsit, & virginittatis signaculum inuiolatum custodiuit:

uit: qui pro suo beneplacito maculam vetustam Baptifmate abluere dignatus est, quam ex præuaricatione contraximus. Adiuro te per eum qui in Iordane baptizatus est, & typum immortalitatis in aquis per gratiam nobis exhibuit, quem Angeli & omnes virtutes cælorum obstupuerunt, incarnatum Deum videntes tam modestè se agentem, quando æternus Pater, Filij ab æterno natiuitatem reuelauit, & descensus Spiritus, sanctæ Trinitatis unionem testificatus est. Adiuro te per eum, qui ventos increpauit, & tempestatem maris sedauit, qui cateruam dæmonum pepulit, & oculorum pupillas, quæ ab vtero matris defuerant, luto illito cæcis ad videndum aperuit, & priscam generis humani conditionem innouauit, mutis, vt loquerentur, dedit. Lepræ stigmata deterfit, & è sepulchris mortuos suscitauit, qui vsq; ad sepulturam cum hominibus est conuersatus, & resurrectione sua infernū spoliauit. Vniuersamque naturam humanam morte superiorem reddidit. Adiuro te per Deum omnipotentē, qui diuina voce hominibus salutaria inspirauit, & Apostolis cooperatus vniuersum terrarum orbem pietate repleuit: fuge, amolire, secede, immunde & scelerate spiritus subterraneæ, in profundis demerfe, fraudulente, deformis, per impudentiam visibilis, per hypocrisim inuisibilis: vbicunque tandem sis, vel abis, siue es Beelzebub, siue concussor, aut Draconis, aut feræ animantis forma præditus, vel vt vapor, vel vt vir, vel vt foemina, vel vt reptile, vel vt volucre, aut noctu loquens, aut surdū, aut mutum

vel

vel incurſu territans, vel lacerans, aut inſidians, aut in ſomno moleſtans, aut in morbo, aut imbecillitate, aut riſu intempeſtiuo agitans, aut lachrymas voluptarias excitās, aut laſciuus, aut olidus, aut cupiditates commouens, aut voluptates; aut venenis gaudens, aut amoribus inſaniens; aut per aſtra magiam exercens, aut per domestica: ſiue ſis impudens, ſiue cōtentioſus, ſiue inſtabilis, aut ſimul cum luna muteris, aut longiore tempore inhæſeris, aut matutinum dœmonium, aut meridianum, aut medijs graſſans noctibus, aut intempeſtiuè, aut ſub aurora, aut qui ſpontè arripueris hominem, aut ab aliquo immiſſus, aut repente adorſus ſis, ſiue in mari habites, ſiue in fluminibus, ſiue è terra prodieris, ſiue è puteo, ſiue præcipitio, ſiue è lacu, ſiue ſtagno, ſiue arundineto, ſiue ſylua, ſiue è saltu, ſiue querceto, ſiue arbore, ſiue ex aue, ſiue tonitru, ſiue è tecto lauacri, ſiue è piſcina aquarū, ſiue ex idolorum monumento, ſiue aliundè, quod ſcimus, aut neſcimus, ſiue cognoſci aut non cognoſci poſſit, aut ex loco temerario, ſeparare & amolire, verere imaginem manu Dei conditam & formatam: time incarnati Dei ſimilitudinem, nec te occultes in Dei famulo hoc; nam virga ferrea, caminus ignis, & tartarus, & dentium ſtridor, vltio inobedienciæ te manent: time, in anguſtum contrahere, fuge, ne regreſſaris, ne occultè vſpiam latites, cum reliqua peſte immundorum ſpirituum; ſed in terram aridam deſertam, incultam, quam nullus hominum inhabitat, ſed ſolus inſuetur Deus, qui vincula inijcit omnibus inuidentibus & in-

& infidantibus suę imagini, & tenebrosis cathenis tartarimancipat, in longam noctem & extremam illam & metuendam diem, te omnium malorum tentatorem, & inuentorem diabolum. Quia magnus est timor Dei, & magna gloria Patris & Filij & Spiritus sancti, nunc & in sæcula sæculorum, Amen.

Oratio alia eiusdem Basilij.

DEus cęlorum, Deus luminum, Deus Angelorum, qui tuę subfunt fortitudini; Deus Archangelorũ, qui tuo subijciuntur imperio; Deus gloriosarũ Dominationum, Deus sanctorum, & Pater Domini nostri IESV Christi: qui animas morte vincetas soluisti, & hominem tenebris immerfum per vnigenitum Filium tuum illuminasti; qui pepulisti omnes dolores nostros, & omne onus abiecisti; qui omnes assultus inimici à nobis amoliris: fili & verbum Dei, qui immortales nos fecisti morte tua, & glorificasti nos gloria tua; qui largitus es nobis per resurrectionem tuã vt ex humana in diuinam transeamus naturam; qui omnia peccatorum nostrorũ vincula per crucem portasti; qui lapsum & vulnera nostra assumpsisti & sanasti Domine, & viam ad cęlos nobis strauisti, & corruptionem incorruptione mutaſti: exaudi me cum desiderio & metu clamantem ad te, cuius timore montes liqueſcunt, cum firmamento, quod sub cęlo est; cuius virtute, muta elementorum ingenia horrent, custodientes suos limites; per quem ignis ille vltionis non excedet fines sibi positos, sed gemens expectat nutũ tuũ; propter quã omnis creatura,

Pp

tura,

tura, ceu parturiens cruciatur, gemens gemitibus inenarrabilibus iussa manere ad oportuna tempora; quam fugit omnis aduersaria potestas, & à quo hostilis exercitus domitus est, & diabolus concidit, Serpens conculcatus est, & Draco occisus est, per quem gentes tibi cōfidentes, illuminatæ & cōfortatæ sunt in te Domine, per quem vita manifestata est, spes solidata est, fides roborata est, Euangelium annunciatum est, per quem homo è terra denuo conditus est, in te collocata fide. Quis enim tui similis Deus omnipotens? Quare oramus te Deus Patrū nostrorum & Domine misericordiæ, qui es ante sæcula omniq̃ue substantia superior, respice hunc tuum famulum te adeuntem in sancto tuo nomine, & dilecti Filij tui Iesu Christi, & sancti omnipotentis, & viuifici spiritus tui, depelle ab anima ipsius omnem languorem, omnem infidelitatem, omnem spiritum immundum, vellitorem, subterraneum, igneum, olidum, concupiscentiæ plenum, auri argentiq̃ue auidum, superbum, meretricium, tenebrosum, informem, impudentem. Ita Deus abige ab hoc famulo tuo omnem vim diaboli, omne incantamētum, omne veneficium, idololatriam, diuinationem ex astris, Græcè astromantiam, astrologiam, necromantiam, augurium, molliciem, amorem, auaritiam, temulentiam, scortationem, adulterium, lasciuiam, impudentiam, iram, contentionem, incōstantiam, & omnem suspicionem malam. Etiam Domine Deus inspira illi spiritum tuum pacificum, vt eo munitus referat fructum
fidei,

fidèi, virtutis, sapientiæ, puritatis, continentia, charitatis, benignitatis, spei, mansuetudinis, longanimitatis, patientia, sobrietatis & intellectus, quoniam te inuocat seruus tuus, in nomine Iesu Christi credens in consubstantialem Trinitatem vnà testificantibus Angelis, Archangelis, gloriosis dominationibus, & omni cælesti exercitu: & cum hoc custodi & corda nostra, quia potens es Domine, & tibi gloriam referimus Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Amen.

Oratio.

INuocamus te Domine Deus omnipotens altissime, qui que neminem tentas pacifice Rex, inuocamus te qui fecisti cælum & terram, ex te namque ortum habet alpha & omega, principium & finis, qui dedisti vt hominibus obtemperarent quadrupedia & bruta animalia, tu enim subiugasti ea Domine. Extende manum tuam validam, & brachium tuum excelsum & sanctum, & visitatione sancta visita hoc figmentum tuum, & demitte illi Angelum pacificum, fortem animæ & corporis custodem, qui increpet & depellat ab eo omne pestilens, & immundum demonium. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, &c.

Pp 2

Oratio

Oratio alia cum Exorcismo principio Chry-
soſtomi

Diuinam, sanctam, magnam, horrendam, & intolerabilem nomenclaturam, & inuocationem facimus ad expellendum te Apostata, similiter & increpationem ad perdendum te diabole, Deus sanctus, eternus, metuentus, inuisibilis substantia, inæstimabilis potentia, incomprehensibilis diuinitate rex gloriæ, & omnipotens Deus. Increpet te diabole, qui ex non existentibus vt essent, faustè per verbum omnia constituit, qui ambulat super pennas ventorum. Increpet te Dominus diabole, qui aduocat aquam maris, & effundit eam, super faciem totius terræ, Dominus virtutum nomen eius. Increpet te Dominus diabole, cui ab innumeris ordinibus cælestibus, & igneis, cum timore seruitur, & Hymnus dicitur, qui quæ plurimis choris Angelorum & Archangelorū, cum tremore adoratur & glorificatur. Increpet te Dominus diabole, qui vndiq; stipatur à potestatibus circumstantibus, & à terribilissimis senis alis, & plurimis oculis instructis Cherubin & Seraphin, duabus alis facies suas velantibus propter inuisibilem & imperuestigabilem ipsius diuinitatem: & duabus alis pedes suos velantibus, ne comburantur, ex ineffabili gloria, & incomprehensibili magnificentia eius, & duabus volantibus, & cælum implentibus clamore hoc suo, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, Pleni sunt cæli & terra gloria tua. Increpet te Dominus diabole, qui ex paterno sinu descendit
è cælis

è cælis Deus verbum, & per adorandam, & ineffabilem & immaculatam incarnationem, ex virgine sancta, innarrabiliter apparuit in mundo, vt seruaret nos, & sua potestate auctoritatis plena è cælis deiectū, omnibus ostendit. Increpet te Dominus diabole, qui mari dixit, tace atque obmutesce, ac mandato confestim acquieuit. Increpet Dominus te diabole, qui immaculata saliuā, lutum fecit quo ex natiuitate carebat cæcus, organum fingens & lumine instruens. Increpet te Dominus diabole, qui filium Archisynagogi verbo viuificauit, & viduæ filium è mortis faucibus eripuit, & suæ matri integrum & sanum reddidit. Increpet Dominus te diabole, qui Lazarum è mortuis quatrduanum, non putrefactū, nec maculatum ac velut non mortuum, in stuporem multorum exhibuit. Increpet Dominus te diabole, qui per alapas sibi inflictas, maledictionem aboleuit & per lanceam purissimi lateris sui flammeam romphæā, paradysi viam custodientem restrinxit. Increpet Dominus te diabole, qui per sputa iniecta in honorandam suam faciem, omnem lachrymam ab omni facie deterfit. Increpet Dominus te diabole, qui crucem fixit in singulare firmamentum nostrū, & mundi salutem, in ruinam verò tuam, & omnium, qui sub te sunt angelorum. Increpet te Dominus diabole, qui edita voce in cruce sua, velum templi scidit, & petras rupit, & monumenta aperuit, & mortui à sæculo resurrexerunt. Increpet Dominus te diabole, qui morte mortem sustulit, & vitam, resurrectione sua,

hominibus donauit. Increpet Dominus te diabole, qui in infernum descendit, & sepulchra illius excussit, & omnes in eo uinctos liberauit, & ad se uocauit, quem uidentes ianitores horrerunt, & dolores inferni subducti defecerunt. Increpet Dominus te diabole, qui ex mortuis resurrexit Christus Deus noster, omnibus largitus suam resurrectionem. Increpet Dominus te diabole, qui in cælos cum gloria assumptus est ad Patrem suum & à dextris maiestatis in throno gloriæ residet. Increpet Dominus te diabole, qui iterum venturus est cum gloria in nubibus cæli cum sanctis Angelis suis, iudicare uiuos & mortuos. Increpet Dominus te diabole, qui ignem inextinguibilem, & uermem irrequietum, tenebras exteriores, comminatus est tibi in supplicium sempiternum. Increpet Dominus te diabole, quem omnia horrent & tremunt à facie potestatis suæ, quoniam intolerabilis ira comminationis eius in te. Ipse te increpet diabole, per terribile nomen eius horre, treme, time, abscede, perdere, fuge, de cælo lapsa, & tecum oēs maligni spiritus, omnis spiritus nequã, spiritus lasciuia, spiritus scortationis, spiritus nocturnus & diurnus, meridianus & uespertinus, spiritus medijs grassans noctibus, spiritus phantasticus, spiritus occurans, siue terrestris, siue aquaticus, siue in saltibus, siue in arundinibus, siue in uallibus, siue in biuijs, siue in triuijs, in stagnis & fluminibus, in domibus, in aulis, in balneis discurrens, & lædens, & immutans mentem hominis, velociter secedite à plasmate conditoris

toris Christi Dei nostri, & amolimini ab hoc famulo Dei à mente, ab anima, à corde, à renibus, à sensibus, ab omnibus membris, vt sit sanus & integer & liber, agnoscens proprium Dominum, & conditorem omnium Deum, qui congregat errantes, & dat ipsis salutis signaculum, per regenerationem & renouationem diuini Baptismatis, vt dignus inueniatur immaculatis cælestibus & tremendis mysterijs, & aggregetur vero illius gregi in loco herbido collocatus, & super aquas refectionis enutritus, & baculo crucis pastoraliter, & tutò deductus, in remissionem peccatorum, & in vitam æternam: quia ipsum decet omnis gloria, honor, & adoratio, & magnificentia, cum sempiterno eius Patre, & sacrosancto bono & viuifico ipsius spiritu, nunc & semper, & in omnia sæcula sæculorum, Amen.

Alia Orationes Ioannis Chrysost.

DEus æterne, qui genus humanum redemisti è captiuitate diaboli, libera & hunc famulum tuum ab omni vi immundorum spirituum: impera malignis, & immundis spiritibus & dæmonibus, vt discedât ab anima & corpore famuli tui huius, ne hæreant aut occultentur in ipso: effugentur nomine tuo sancto & vnigeniti Filij tui & viuifici spiritus tui, à figmento manuum tuarum, vt expiatus ab omnibus insidijs diabolicis, sanctè, iustè, & piè viuat.

viuat, dignus habitus impollutis mysterijs vnigeniti Filij
tui Dei nostri, cum quo benedictus & glorificatus es
cum sanctissimo bono, & viuifico spiritu.

Alia eiusdem.

OMnipotens sempiternus Deus, qui increpasti immun-
dos spiritus, & virtute verbi tui expulisti legionem:
illucesce & nunc per vnigenitum tuum super opus tuum,
quod ad imaginem tuam condidisti, & eripe illud graui
seruitute oppressum ab aduersario: vt famulus hic tuus
misericordiam consecutus, & expiatus: annumeretur sa-
cro tuo ouili, & conseruetur animatum templum sancti
tui spiritus, & diuinarum & impollutarum sancti-
ficationum gratia, miserationibus & clemen-
tia vnigeniti Filij tui, cum quo benedi-
ctus es, cum sacrosancto bono
& viuifico tuo spi-
ritu.

INSTRV-

INSTRVCTIO ADVERSVS *afflictiones ex detrimentis possessionum.*

I.



Sicut inter cætera flagella, quibus Deus hominis inobedientiam punit, etiam terra sterilitatis maledictioni subiecta est, ut non proferat fructus humano vsui conuenientes sine laboribus & molestiis: ita etiam iumenta homini ad subsidium victus & vitæ diuinitus data, propter peccata nostra interdum morbis affliguntur, vel Deo sic permitte per incantationes & diabolicas artes impediuntur, ne homini consueta solatia præstet. Quæ

detrimenta dum euadere non possumus, docemur per fidem patienter ferre, & in materiam exercendæ virtutis conuertere. Sed Ecclesia pia & sollicita mater, etiam exorcismis & adiurationibus secundum potestatem à Deo sibi factam, diaboli insidias repellere studet, & creaturas humanis necessitatibus destinatas, non modò in naturalem, sed etiam in salutarem vsum per orationes & benedictiones sibi iterum asserit & vendicat.

II. Hæc imprimis videre licet in benedictione salis & aquæ & similium rerum quæ in sacrationem vsum ab Ecclesia assumuntur. Cumque Apostolus dicat omnem Creaturam bonam esse & sanctificari per verbum Dei, & orationem: licet etiam hanc sanctificationem extendere ad pecora & eorum pabula, quæ quidem quod ad præsens attinet, in hoc posita est, ut ad conuenientem & salutarem vsum repurgentur à diaboli fraudibus, ne (quod scriptura ait) creaturæ quæ ad commoditatem homini subseruiunt, per insipientiam fiant decipulæ & captionis laquei.

III. Formulas autem exorcismorum, & benedictionum in Pontificali & Missali videre licet, & quamquam etiam aliæ à temerarijs excogitari possent, tamen expedit illas retineri quæ ab Ecclesia in vsum receptæ sunt, à veteribus vsitata, vel proximè ad eas accedunt. Non tantum ut securiores simus à superstitione & erroribus alijs: sed etiam quia efficacior est oratio nostra, quando cum Ecclesiæ precibus viuaciter coniungitur. Ad quam rem conferet etiam ipsa verba ab Ecclesia vsitata retinere.

IV. **A** superstitionibus autem & nouitijs aliisque diaboli fraudibus persollicitè cauendum quemadmodum dicitur in decretis, vbi vetatur, ne in colligendis herbis aliud adhibeatur, quàm oratio Dominica, vel Symbolum fidei, quibus nemo temerè audeat sua adijcere.

Q q

V. Quæ